



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Ioannis Macherentini Societatis Iesv Theologi,
Explanatio Catechismi Catholici**

Macherentinus, Johannes

Colon., 1612

De matrimonij impedimentis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39397

ADMONITIO PRO PRIMA QVA
*dragesima Dominica.**Prax. 43.
c. 58 §. 6.*

EXpedit vt pastores, concionatores, Ca-
techistæ in ipsa Dominica Inuocauit,
clarissimè plebì explicent, quæ superius di-
cta sunt de illis, qui communionem corporis
Christi indigni sunt, vt norint omnes qua-
ratione se ad pascha celebrandum compara-
re debeant, ne cum damno & dedecore be-
neficio absolutionis, ac salutaris corporis
Christi viuifico cibo orbentur. Non ignoret
tamen Sacerdos propter occultum crimen
publicè Eucharistiam petenti non esse ne-
gandam, etiam si confitentem absolueri non
potuerit.

L I I I I.

DE IMPEDIMENTIS MA-
TRIMONII.

*Quæ sunt impedimenta, quæ si quis norit detegit
iubet Pastor, cum publicè pronunciat esse,
qui nuptiarum fœdera inire
constituerint?*

Res hæc in primis cognitu necessaria, at-
que omnibus merito explicanda. Sunt
huiusmodi impedimenta in duplici genere.
Quæ-

Quædam enim cum inueniuntur, etiã quod contractum putabatur matrimoniũ, prorsus rescindunt, faciuntque inane ac irritum esse. Quædam efficiunt, vt sine peccato non contrahatur: si tamen contractum fuerit, valet.

Quenam impedimenta contractum matrimonium dirimunt?

Commemorabo ea tantum quæ facile contingere possunt.

Votum castitatis solenne, quale Deo nuncupant, qui aut sacro ordine aliquo initiantur, aut in religione approbata professionem faciunt.

Cum itaque concubinam suam Presbyter aut Monachus in facie Ecclesiæ ducit: manent post, vt ante æquè imò magis sacrilegi: eadem est ratio de monialibus incestè nubentibus, *habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.*

Cognatio seu consanguinitas: nam qui intra quartum gradũ sibi inuicem sanguine iunguntur, matrimonium inire non possunt: Est & quædam cognatio spiritualis in sacramentis Baptismo & confirmatione contracta, inter susceptores & susceptum, cuius parètes efficiuntur: & inter eosdam susceptores & suscepti parentes, quibus compa-

R r tres

tres fiunt, quæ pari ratione, vt carnalis cognatio, ad matrimonium ineundum reddit inhabiles.

Crimen cum videlicet coniugum alter coniugem suum, operam suam dante tertia aliqua persona, interimit, inter viduum & homicidam non potest consistere matrimonium: vel cum alter coniugum adulterat, & postea suum interficit coniugem, homicida cum adultera vel adultero non potest contrahere: vel cum alter coniugum, non solum adulterat, sed etiam adultero vel adulteræ matrimonium spondet, non poterit id efficere etiam post obitum naturalem coniugis.

Vis.

4. Habere coniugem.

5. Affinitas, quæ impedit vsque ad quartum gradum; Nascitur autem hæc non solum ex legitimo seu matrimoniali congressu, verum etiam fornicatorio: monendi proinde iuuenes lasciuientes, nedum seruiunt suæ libidini, vna fortè venere sibi ipsis impedimento sint, quo minus per nuptias in honestam ac diuitem familiam inscribi possint. Sciendum tamen beneficio concilij Trid. affinitatem ex fornicatione ortam, non nisi vsque ad secundum gradum, contractum matrimonium dissolvere.

Quod si legitimo matrimonio superuenit

erit affinitas, non equidē ipsa dirimet matrimonium, si quidem ad mortem durat, peccat tamen incestuosus ille nisi cum ea dispensatum fuerit, quotiescunque exigit debitum. Quocirca, quid illi sit faciendum confessorium aut peritum aliquem consulat.

Quenam tantum impediunt contrahendum?

Interdictum Ecclesiae, tempus quo non celebrantur nuptiae, votum simplex castitatis: sponsalia quibus quispiam alteri dedit fidem, vxoricidium vel mariticidium.

Quæ porro de tribus proclamationibus, clandestinorum matrimoniorum irritatione, & ne in eadem domo sponsi ante sacerdotalem benedictionem morentur, ante contractum diligenter de peccatis suis confiteantur & communicent, & nuptiarum solennitate, qua decet modestia & honestate celebrandis, & id genus alia ab Ecclesia vtiliter sancita sunt, diligens, & animarum salutis sitiens Catechista, ex decretis sacrosancti concilij Tridentini declarare non omittat; ac præsertim illud omnibus interdictum, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, ne quamcunque personam inuitam nubere cogant. Graue enim peccatum, ac multorum malorum scaturigo, libertatem matrimonij violare.

Rr 2 Præ-